

ritas enim est unio amicitiae cum Deo, ut ultimum fine; peccatum mortale est aversio a Deo, ut ultimo fine: charitas facit hominem velle diligere Deum super omnia, & se omnibus ejus praeceptis subjicere; peccatum mortale praefert creaturam Deo, & violat ejus praecepta: ergo.

Nec obstat, (*Ib.*) quod actus non contrarietur directi habitui, quodque ideo unus actus non destruat habitum acquisitum contrarium. Disparitas est, quod habitus acquisitus tam in acquisitione, quam in conservatione, pendat a virtute subjecti: unde, sicut pluribus actibus acquiritur, uno actu non destruitur. At habitus infusus, ut est charitas, dependet ex Dei actione infundentis, qui sic se habet in infusione & conservatione charitatis, sicut sol in illuminatione aeris: & ideo, sicut lumen statim cessaret in aere per hoc, quod aliquid obstruere poneretur illuminationi solis; ita etiam charitas statim desinat esse in anima per hoc, quod aliquid obstruere ponitur influentiae charitatis a Deo in animam. Manifestum est autem, quod per quodlibet peccatum mortale, quod est destructio amicitiae cum Deo, aversio ab illo ut ultimo fine, & praevicatio mandatorum ejus, ponatur praedictae influentiae obstruendum.

Dices 1. Fides & spes sunt virtutes infusae, nec tamen amittuntur per quodlibet peccatum mortale: ergo nec charitas. R. N. Consequenter. Disparitas est, quod quodlibet peccatum mortale non contrariatur fidei & spei, sicut charitati. Nam 1. Quodlibet peccatum mortale, ut diximus, est aversio a Deo, ut ultimo fine, charitas conversio & unio cum Deo ut ultimo fine; nec sic fides & spes. 2. Peccatum mortale destruit obiectum formale charitatis, quod est diligere Deum super

omnia; non sic destruit obiectum formale fidei & spei; potest enim peccator adhuc credere Deo, & sperare beatitudinem.

Inst. Negare exterius fidem corde retentam est actus contrarius fidei. Item praesumere, Deum in fine vitae fore propitium, nec abstinere a peccato, est actus contrarius spei; atqui hi actus non tollunt fidem & spem, ut suis locis diximus: ergo similiter de peccato mortali respectu charitatis. R. N. Consequenter. Disparitas est, quod hi actus non destruant obiectum formale fidei & spei, in primo enim remanet assensus internus rebus revelatis propter primam veritatem; in secundo manet expectatio beatitudinis ex auxilio Dei. At peccatum mortale destruit obiectum formale charitatis, quod est, ut jam dixi, summum bonum super omnia & praeter omnia diligendum.

Dices 2. S. Leo serm. 9. de Passione Domini alloquitur Petrum dicens: *Vidit in te Dominus non fidem factam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, ubi non defuit affectus; affectus charitatis laevi verba formidavit.* ergo. R. quod charitas amittitur dupliciter: (*Ib.* ad 2.) Uno modo directe per actualem contemptum, & hoc modo Petrus charitatem non amisit. Alio modo indirecte, quando committitur aliquid contrarium charitati propter aliquam passionem concupiscentiae, vel timoris: & hoc modo Petrus contra charitatem faciens, charitatem amisit, sed eam cito recuperavit.

Plura alia, hanc Conclusionem spectantia, & quoad probationes, & quoad argumenta, vide in Tract de Gratia Dissert. 7. art. 3. ubi probavimus, nequidem de potentia Dei absoluta peccatum & gratiam posse esse simul in eodem subjecto.

DISSERTATIO III.

DE CHARITATE ERGA PROXIMUM.

Div. Thom. Quaes. 25.

Diximus, Diss. 1. a. 3. Proximum esse obiectum secundarium charitatis. Quaesitio nunc est: qui veniant sub nomine Proximi? Suppono (*Hic q. 25. a. 3. o.*) creaturas irrationales non posse diligi ea charitate, sicut diligimus eum, ad quem habemus amicitiam, seu cui volumus bonum aeternae beatitudinis; quia hujus sunt incapaces. Possunt tamen diligi ex charitate, sicut diligimus bona, quae volumus amicis, quatenus volumus ea charitate ea conservari in gloriam Dei, & in utilitatem proximi. Quaesitio est itaque de creaturis rationalibus, Angelis scilicet & hominibus. De Angelis nullus loquitur, eos esse diligendos ex charitate propter Deum; de hominibus difficultas est de dilectione sui ipsius, proprii corporis, Peccatorum & Inimicorum. Unde sit

ARTICULUS I.

Utrum homo debeat ex Charitate diligere seipsum, corpus suum, & peccatores?

Dico 1. (*Ib.* a. 4. o.) Homo debet seipsum diligere ex charitate. Prob. Homo debet diligere proximum sicut seipsum, Matth. 19.; atqui debet diligere proximum charitate: ergo & seipsum. Confirm. 1. Deus, ut infinite bonus, dignus est, ut ab omnibus amore amicitiae diligatur: ergo homo debet propter Deum hunc amorem sibi velle; atqui hoc est se amare amore charitatis: ergo. Confirm. 2. Amicitia charitatis fundatur in communicatione beatitudinis: ergo illi sunt charitate diligendi, quibus beatitudinem volumus; atqui homo debet sibi velle beatitudinem: ergo.

Dices: *Charitas minus quam inter duos haberi non potest*, inquit Greg. Hom. 17. in Evang. Et patet; quia charitas est amicitia, quae importat redamationem & aequalitatem: ergo homo non potest se amare amore charitatis. R. D. Consequenter. (*Ib.*) ergo homo non potest se amare ex charitate, considerata sub communi ratione amicitiae, C. Quia sic, prout probat argumentum, non est nisi inter duos, inter quos importat unionem. Attamen amor, quo quis se diligit, est fortior amor, quo diligit alterum, quia non importat tantum unionem, sed unitatem. Unde sicut unitas est principium unionis, ita amor, quo quis se diligit, est forma & radix amicitiae. Homo non potest se amare ex charitate secundum propriam rationem ipsius charitatis, N. Ut sic enim est amicitia hominis ad Deum principaliter, & ex con-

sequenti ad ea, quae sunt Dei, inter quae etiam est ipse homo, qui habet charitatem.

Dices: Amare seipsum est quid vituperabile 1. Timoth. 3. ergo. R. D. Ant. (*Ib.* ad 3.) Amare seipsum ex cupiditate, qua homines se amant secundum naturam sensibilem & corruptam, cui indulget, est vituperabile, C. Amare seipsum ex charitate secundum naturam rationalem, volendo sibi Deum ut ultimum finem, N.

Dico 2. (*Ib.* a. 5. o. & ad 2.) Homo debet ex charitate diligere corpus suum, non solum ut id quod tanquam bonum vult amico; sed etiam ut id, cui vult bonum. Ratio primae partis est; quia corpus nostrum potest esse instrumentum bonorum operum, quibus Deus honoretur. Ratio secundae partis est; quia, licet corpus nostrum non sit capax aeternae beatitudinis Deum cognoscendo & amando, est tamen capax beatitudinis participatae, quae ex anima gloriosa in ipsum redundat.

Dices: Sancti videntur odisse corpus suum, ipsum affligendo; & Paulus Rom. 8. cupit separari a suo corpore: ergo. R. Sanctos & Apostolos non odisse suum corpus secundum naturam, quae bona est; sed secundum corruptionem ejus, quae aggravat animam; & infectionem concupiscentiae, quae inclinat ad peccatum. Unde laudandi sunt, qui prudenter & moderatè, vigiliis, jeuniis, laboribus, &c. affligunt corpus; ut subjiciatur spiritui, sicut rectus ordo postulat; & ut sit ad bona opera paratum. Sic enim est odisse vitam suam in hoc mundo, & in vitam aeternam illam custodire.

Dico 3. (*Ib.* a. 6. o.) Peccatores sunt ex charitate diligendi secundum naturam, non secundum culpam. Ratio primae partis est; tum quia peccatores secundum naturam sunt capaces beatitudinis, quam ipsis propter Deum debemus velle; tum quia peccator non desinit esse proximus, juxta illud Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus: Si frater ergo proximus. Denique jubemur diligere inimicos, ut mox probabitur: ergo & peccatores; sunt enim inimici peccatores.* Ratio secundae partis est aperta; culpa enim contrariatur Deo, & est beatitudinis impedimentum. Unde dicebat David Ps. 118. *Iniquos odium habet.*

Dices: Viri sancti apprecantur mala peccatoribus, ut Ps. 9. *Convertantur peccatores in infernum.* Ps. 103. *Deficiant peccatores a terra & iniqui, ita ut non sint.* Isa. 6. *Excacca cor populi hujus, & aures ejus aggrava:* ergo. R. Im-

precationes hujusmodi (*Ib.* ad 3.) quae in Scripturis repetuntur, tripliciter posse intelligi. 1. Per modum praenuntiationis, non per modum optionis: sic intelligitur illud: *Convertantur peccatores in infernum*, id est, convertentur: & istud: *Excacca cor populi hujus*, id est, Excaccabis. Per modum optionis, ut tamen desiderium optionis non referatur ad penam hominum, sed ad justitiam punientis, ut sit quasi indignatio contra culpam, & approbatio divinae justitiae, secundum illud Ps. 57. *Lerabitur justus, cum viderit vindictam*; letatur autem non in malo, sed in justitia Dei: sicut ipse Deus puniens non letatur in punitione impiorum, ut dicitur Sap. 1. sed in sua justitia, quia *justus Dominus, & justitiam dilexit.* 3. modo, ut desiderium referatur ad remotionem, & destructionem culpae, non ad ipsam penam, aut malum hominis, ut scilicet peccata destruantur, & peccatores salvi fiant; quo sensu intelligitur istud Ps. 103. *Deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita ut non sint*; id est, secundum quod sunt peccatores, & iniqui, seu secundum culpam.

Hinc colliges, non licere optare damnationem aeternam cuique adhuc in hoc saeculo viventi; tum quia non potest esse medium ad majus bonum habendum, vel ad majus malum vitandum; tum quia est contraria fini, propter quem debemus charitate diligere proximum, tum denique, quia de nullo est desperandum, quando vivit. Neque etiam licet alicui desiderare, ut peccet, quia peccare est simpliciter malum: licet tamen juxta plures desiderare, ut Deus permittat aliquos peccare, ut inde humiliores, & cautores confingat. Confer, quae dixi de maledictione in Tract. de Justitia Dissert. 15. a. 4. §. 3.

ARTICULUS II.

Utrum inimici sint ex Charitate diligendi?

Dico: (*Ib.* a. 8. o.) Inimici sunt ex charitate diligendi, non qua inimici, sic enim esset diligere peccatum, sed qua homines; dilectione utique communi, non speciali, per se loquendo. Prob. 1. (*Ib.* in a. 5. c.) ex illo Matth. 15. *Diligite inimicos vestros*; & ut probet Christus, esse praecceptum omnibus, addit: *Ut sicut filii Patris vestri, qui in Caelis est.* Est autem omnibus necessarium ad salutem, esse filii Patris caelestis, 2. In Oratione Dominica Matth. 6. petitur, ut Deus dimittat nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: ergo praecceptum est dimittere inimicis, alias non dimittitur nobis. Item ibid. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

3. Praecceptum est, ut diligamus proximum; atqui inimicus est proximus; ratio enim proximi consistit in eo, quod quis sit factus ad imaginem Dei, & possit esse particeps aeternae beatitudinis: ergo.

Dici: *Dilectione utique communi, non speciali, per se loquendo.* (*Ib.* a.) Quia dilectio inimici potest considerari dupliciter. 1. In generali, sic ut quis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat; & sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis. 2. In speciali, ut scilicet quis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; & istud non est de necessitate charitatis absolute, & per se loquendo, sed de ejus perfectione; quia sic moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter non est de necessitate charitatis, cum hoc sit impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum preparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc quod in singulari inimicos diligeret, & specialia beneficia praestaret, si necessitas occurreret.

Dices 1. Aug. in Ench. c. 73. dicit, *perfectorum esse diligere inimicos, neque hoc a tanta multitudine impleri, quanta exauditur in Oratione Dominica, cum dicitur: Dimittite nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* ergo.

R. Aug. loquitur (*Ibid.* o.) de speciali dilectione, qua quis actu afficitur inimico adhuc inimici agenti, & ipsi bene vult; quod non est de necessitate, sed de perfectione charitatis, ut mox explicatum est. Et hanc mentem Aug. patet ex his verbis ibid. *Et qui tibi malum vult, & si potest, facit; tu bonum semper velis, faciasque cum possis.*

Inst. Aug. 1. 1. de Serm. Domini in Monte c. 21. ait *Ascendit aliquem gradum, qui proximum diligit, quamvis adhuc odierit inimicum.* Et Hieron. 1. 1. contra Pelagianos c. 9. illos redarguit, quod dicerent inimicos esse

se diligendos sicut proximos: ergo.

R. Augustinum loqui de gradu justitiae, non Christianae, sed Pharisaeae: unde addit: iste gradus tam parvus est, ut cum Pharisaeis etiam possit esse communis. Ad Hieron. reprehendit Pelagianos, non quod dicerent inimicos simpliciter esse diligendos; sed quod dicerent, esse simpliciter diligendos sicut consanguineos, & familiares amicos.

Dices 2. Charitas non tollit naturam; sed unaquaeque res etiam irrationalis naturaliter odit suum contrarium, sicut ovis lupum, aqua ignem; ergo charitas non facit, quod diligamus inimicum.

R. D. Min. (*Ibid.* ad 2.) Unaquaeque res odit suum contrarium in quantum est contrarium; C. In quantum non est contrarium, N. Inimici autem sunt nobis contrarii, in quantum sunt inimici: unde hoc debemus in eis odio habere; debet enim nobis displicere, quod nobis sunt inimici. Non autem sunt nobis contrarii, in quantum homines sunt, & beatitudinis capaces; & secundum hoc debemus eos diligere.

Dices 3. Charitas erat in veteri lege; atqui tunc non erat necessarium diligere inimicos; dicit enim Christus Matth. 5. *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum:* ergo.

R. N. Min. Etenim Levit. 19. praecipitur: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Non queras ultionem, nec memoreris injuriam civium tuorum.* Exod. 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, radice eum.* Prov. 25. *Si curaverit inimicus tuus, cura illum.* Et Christus Matth. 22. interrogatus, *Quodnam esset mandatum magnum in lege*, respondit esse praecceptum dilectionis Dei, tum subiungit: *Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum*, &c. sub proximo autem comprehenditur inimicus. Insuper praecceptum dilectionis inimicorum est legis naturae, deductum ex illo principio communi legis naturae: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; nullus enim vult odio haberi, & sibi reddi malum pro malo. Unde ipse Plato 1. 1. de Republ. & 1. 28. Dialog. solo lumine naturali illud agnovit.

Ad verba Christi, non est sensus (*In 3. d. 30. q. 1. art. 1. ad 2.*) quod in lege dictum fuerat: *Odio habebis inimicum*; sed quod dictum fuerat a Scribis, & Pharisaeis, perverse legem interpretantibus. Cum enim Levit. 19. diceretur: *Diliges amicum*, a contrario inferebant, inimicum esse odio habendum; sed male; quia argumentum a contrario non valet, quando praedicatum eadem ratione convenit subjecto Antecedentis, & Consequentis, sicut hic contingit: nam *To Esse diligendum*, convenit amico, & inimico sub eadem ratione, scilicet quia est proximus. Unde ipse Christus Matth. 5. & Luc. 7. reddit cum 70. Interpretibus *To Amicum* Levit. 19. per *To Proximum*. Adde verus Testamentum, quod asserendo in aliis locis a nobis citatis diligendos esse inimicos, excludat hanc Pharisaeorum interpretationem.

Inst. Christus Matth. 5. praecipit dilectionem inimicorum non tanquam quid necessarium absolute, sed ut sinus perfecti; concludit enim caput dicendo: *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester caelestis perfectus est:* ergo. R. Christum loqui de perfectione necessaria cuilibet Christiano, dixerat enim prius: *ut sicut Filii Patris vestri, qui in Caelis est.* Est autem necessarium cuilibet Christiano, quod sit filius Patris caelestis.

ARTICULUS III.

Utrum inimicis sint exhibenda signa, & opera charitatis.

Dico: (*Hic q. 25. a. 9. & q. 83. a. 8.*) Per se loquendo signa, & opera communia charitatis sunt exhibenda inimicis, non specialia. Prob. 1. (*Ibid.*) Dilectio interior ad inimicum in communi est de necessitate charitatis absolute. In speciali autem non est de necessitate charitatis absolute, sed secundum preparationem animi tantum, ut dictum est art. praeced. ergo idem dicendum est de operibus, & signis dilectionis exhibendis. 2. Ex virtute charitatis obligantur nulli esse scandalo; atqui denegando inimico signa communia dilectionis sumus illi, & aliis scandalo, secus denegando signa specialia: ergo. Prob. Min. Denegando inimico signa communia dilectionis, quae omnibus communiter exhibentur, inimicus jure praesumit ita fieri ex odio in ipsum, & livore vindictae, indeque movetur, ut in inimicitia perseveret, atque magis obdurmetur, commune enim est inter homines odisse odientes se; secus vero, non exhibendo ipsi specialia signa, quae aliis etiam non inimicis non exhibentur.

Pro hujus itaque Conclusionis explicatione, praesertim in

in ordine ad proximum, distinguenda sunt signa dilectionis communia, & specialia. Communia dicuntur, quae communiter omnibus exhibentur; vel forte melius, quae Christiano a quovis Christiano, concivi a quovis concive, cognato a quovis cognato, &c. communiter exhibentur; quia, licet haec possint esse specialia respective ad omnes homines, sunt tamen communia in sua classe. Specialia sunt, quae exhibentur determinatis personis, aut amicis familiaribus.

Hinc inferes, per se loquendo esse illicitum excludere inimicum a communibus orationibus, communibus elemosynis, aut communi beneficio, etiamsi ex mera liberalitate facta, ut si omnibus pauperibus alicujus oppidi facias elemosynam, vel alicui Collegio, seu Communitati praestes beneficium, puta, exhibeas prandium, & excludas inimicum. Licet enim exhibere prandium sit secundum se speciale signum amicitiae, hoc ipso tamen quod exhibetur toti Communitati, non est speciale respectu unius membri, sed commune. Item peccat, qui mereas expositas vendere recusat inimico, qui ipsi alloquanti non respondet, ipsum salutantem non resalutat, qui pluribus occurrentes omnes salutat praeter inimicum; quia haec sunt signa communia dilectionis, quae communiter omnibus exhibentur. Per se autem non peccat, qui non orat specialiter pro inimicis, qui familiariter cum iis non colloquitur, qui eos non invisit, aut non invitatur ad mensam, quia haec sunt specialia signa dilectionis. Quidam etiam excusant, qui inimicum obvium non salutant, quia, inquit, non magis teneor salutare inimicum, quam alterum. Verum limita, ubi non est consuetudo omnes obvios salutandi, & non appareat id fieri ex odio.

Dixi tam in Conclusionem, quam in Consecratio, per se loquendo, qui per accidens possunt aliquando sine peccato, aut saltem sine gravi, denegari signa communia inimicis; & aliquando praecipuum est illis dare signa specialia. Itaque non tenemur dare signa communia, quando charitas erga nos, vel proximum, aut iustitia contrarium suadet, aut rationalis causa excusat. Charitas erga nos, & proximum: ut si ex denegatione signorum communium speratur inimicus emendandus, & non scandalizandus: si ex aspectu, aut colloquio cum inimico timeas, ne injuriam recordatio, major commotio, aut novae rixae insurgant: deberet tamen in hoc casu innotescere, id non denegari ex odio. Iustitia, ut si Parentes, aut Superiores in punitionem justam, & correctionem filii, aut sabditi, puta ob crimen infame, contractum indignum matrimonium, &c. denegent absque interno odio alloquium, aspectum benignum, aliae beneficia, & signa, hiis, aut subditis exhiberi solita: modo tamen haec vindicta, seu poena non excedat modum delicti, nec in perpetuum duret. Rationalis causa, ut si te offendenti deneges loquelam, responsum, salutationem, &c. in instanti injuriae acceptae, vel post ad brevem moram, non ex odio, & vindicta, sed in significationem justae doloris, & tristitia ex injuria accepta, idque exterius appareat: item, si sit leve scandalum: item, si ob injuriam te, aut familiam graviter diffamantem exhibeas austeriorem vultum, aut tristitiam, vel deneges alloquium, & salutationem, ne videaris parvi aestimare tantam injuriam: in his casibus poteris excusari a peccato, saltem gravi.

Contra vero per accidens tenemur signa dilectionis specialia exhibere inimico, in duobus praesertim casibus. 1. Quando inimicus veniam petit. 2. Quando ejus necessitas saltem gravis corporalis, vel spiritualis ita existit. Auctor hic secundum easum tantum exprimit, sed q. 83. a. 2. cit. & in 3. d. 30. a. 2. ad 3. etiam primum exprimit. Unde, quando hic dicit non esse necesse dare specialia signa dilectionis inimico extra casum necessitatis, sumit necessitatem paulo latius, sive pro ea, quam inimicus petit, sive pro ea, quam petendo veniam inducit. Censetur autem gravis inimici necessitas, quando est in gravi periculo vitae, famae, aut fortunae: item quando salus ejus animae periclitatur, aut grave scandalum timetur, si non exhibeantur illa specialia dilectionis signa. Ratio autem hujus corollarii est; quia, cum in certis casibus teneamur benefacere inimico, & ei signa dilectionis specialia ostendere, non possunt convenientiores assignari, quam quando petitur gravem necessitatem, aut petit reconciliationem: alioquin erit signum interni odii, & grave scandalum, & aliis & ipsi inimico, qui inde magis exacerbabitur, & in inimicitia obfirmabitur. Potest assignari tertius casus, quando exhibitio signorum specialium est necessaria ad vincendam tentationem odii, vel alteram.

Ut itaque dignoscatur, quando, & quantum peccetur in hac frequenti materia, duo sunt consideranda, scilicet intentio interna, & significatio externa offensiva inimici. Quantum ad intentionem: Si deneges inimico signa dilectionis v. gr. ipsum salutare, alloqui, &c. ex odio gravi abominationis ejus personae, quia apprehendis ipsum malum & summe contemnis, indignumque reputas tua salutatione, vel alloquio, videtur peccatum mortale. Si ex odio inimicitiae haec deneges, ut ipsum affligas, & illi male sit, est etiam peccatum mortale ex genere; quod potest fieri leve ex levitate materiae.

Quantum ad significationem externam offensivam inimici attendendum est. 1. Utrum facta, vel omisa significent reverentiam internum odium. 2. Utrum inimicus haec advertat, & aegre ferat, atque inde offensus scandalizetur, & obfirmetur in inimicitia: & tunc ex gravitate, vel levitate scandalii, & offensione aestimanda est gravitas, vel levitas peccati mortalis, vel venialis. Unde potest ex hoc capite statui haec regula generalis. Secluso odio interno, ea tantum signa, & opera charitatis tenemur exhibere inimico, ex quorum omissione is, & alii merito intelligunt nos ea denegare ex malo odii, vel vindictae affectu in inimicum.

Casus speciales.

PRIMUM casus. Duo autem inimicitiam, puta, duo Religiosi in Monasterio, se salutabant, & passim colloquebantur. Post rixam nec se salutant, nec colloquuntur. Peccatne? R. ex regula praeced. Si inde sequatur scandalum tam inter ipsos, quam in Communitate proit ordinari accidit, peccant mortaliter, vel venialiter pro quantitate scandalii. Si tamen antea erant specialiter amici, & amica colloquia miscebant, non tenentur redintegrare specialem amicitiam, & amica colloquia; quia ex hac omissione non potest colligi odium, modo se habeant ad invicem, sicut ad ceteros Confratres.

Secundus casus. Teneturne quis salutare inimicum, ipsum alloqui, ipsi propinquare, &c. si sciet ipsum non respondurum, non resalutaturum, &c. R. Si id certo sciat, quia jam expertus est, vel quia inimicus sic asseveravit, videtur non teneri; quia id sibi imputare debet inimicus; nec inde scandalum pati potest, cum videat hunc non denegari ex odio, sed ex propria sua malitia: quod si tamen dubitet, debet saltem semel experiri: quod si aliter non respondet, videtur deinceps excusandus.

Petes 1. Utrum offensus teneatur omnia condonare, seu remittere inimico, reconciliationem petenti? Ante responsionem nota, distinguendum esse inter offensam simplicem, offensam injuriosam, & offensam damnosam. Offensa simplex est lesio, seu irritatio voluntatis alterius, absque lesione juris, aut damno: ut si amico petenti a te obsequium, quo maxime indiget, & quod licet praestare potest, deneges, offensam amicum, & ipsum moves, ut a te averratur, & contra te indignetur; non tamen facis illi injuriam, quia nullum jus ejus strictum violas. Offensa injuriosa, seu simplex injuria est violatio stricti juris alieni sine damno tamen: ut si alicui soli contumeliam inferas, si alterius uxorem cognoscas, non secuta prole. Offensa damnosa est, si auferas ab aliquo, quod suum est, seu ipsi noceas in bonis animae, vitae, famae, aut fortunae. Unde in offensione, a quo petitur reconciliatio, tria attendi possunt. Primum, remissio offensae, seu depositio indignationis, & aversionis, seu odii. Secundum, signa hujus remissionis. Tertium, remissio injuriae, & dampni. Potest autem peti reconciliatio variis modis; nec semper est necesse, quod petatur per veniam petitionem, vel alia signa humilitationis; sed quandoque sufficit petere per specialia signa amicitiae, per preventionem in honore, per amicabilem colloquium, ut solet fieri a superioribus erga inferiores. Nunc ad Petitionem.

R. Offensus teneri inimico, petenti reconciliationem, remittere offensam simplicem, seu deponere aversionem, indignationem, & odium, & hujus depositionis signa quaedam exhibere: constat ex praecedentibus. Sed non tenetur remittere injuriam, & dampnum, potestque exigere pro injuria satisfactionem, & pro damno restitutionem; quia unusquisque potest jus suum prosequi apud legitimum iudicem. Cavendum est tamen, ne inimicus ad satisfactionem, vel restitutionem cum nimio suo damno cogatur, aut ne a Iudice petatur satisfactio, quando ipse rationabilem offert; id enim vix fieri poterit absque aliquo appetitu vindictae. Item, ubi agitur de poena capitis, aut mutilatione, & nullum emolumentum parti laesae inde obvenit, expedit propter eandem rationem illam non urgere: scilicet

esset, si communitas, aut familia offensae maneret infamis, si offensus non puniatur secundum leges.

Petes 2. Quis sit sensus hujus sententiae Christi Matth. 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offers munus tuum. R. Sensus esse: si paratus offerre sacrificium, aut quodcumque bonum opus facere, recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, quia in aliquo ipsum offendisti; nam, si ipse te offendit, jam non frater habet aliquid adversum te, sed tu adversus illum, sicut non teneris veniam postulare, sed tantum dimittere; Relinque ibi munus tuum, id est, absque mora, etiam ante oblationem sacrificii, va-

de prius reconciliari fratri tuo, id est, cura, ut in gratiam cum fratre redeas; quo facto offer sacrificium, quod erit meritum & gratum Deo. Haec autem re ipsa quidem praestanda sunt, sed juxta naturam praecipri affirmativi, quando scilicet ratio prudentiae, locus, & tempus id permittunt; alioquin animi praeparatione & cordis affectu haec praestare sufficit, ut docet Aug. serm. de verbis Domini in monte. Chrysostomus, Theophilactus, & quidam alii intelligunt hanc Christi sententiam, tam de offensa, quam de offendente: sed sic est consilium tantum, & non praecipuum. Porro ex hoc loco ortus est antiquus Ecclesiae usus dandi invicem ante communionem osculum sanctum, vel, ut nunc fit, tabellam pacis.

DISSERTATIO IV.

DE ORDINE ET PRAECIPUO ACTU CHARITATIS, QUI EST DILECTIO.

Div. Thom. Quaest. 26. & 27.

CUM quatuor sint ex charitate diligenda, ut docet Auctor art. ultimo praeced. questionis post Aug. & constat ex dictis: unum, quod supra nos est, scilicet Deus; alterum, quod nos sumus; tertium, quod juxta nos est, scilicet proximus; quartum, quod infra nos est, scilicet corpus nostrum; & bonum, quod est charitatis objectum, non aequaliter ab omnibus participetur; manifestum est, esse aliquem ordinem in charitate, juxta illud Cantic. 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem. (Hic quaest. 26. art. 1. o.)

ARTICULUS I.

Utrum Deus sit magis ex charitate diligendus, quam proximus?

Observant communiter Theologi, unum plus altero posse diligere tripliciter: 1. Objectivè, quando volumus ei majus bonum, quam alteri, ut si optem Imperium Titio, Ducatum Caio, plus objectivè diligo Titium, quam Caio. 2. Appretiativè, quando unus plus aestimatur, quam alter, & amans ita illi afficitur, ut magis refugiat ejus, quam alterius amicitiam perdere. 3. Intensivè, quando unus diligitur intensiori conatu, affectu ferventiori & perfectiori secundum gradus intensionales, quam alter.

Nec obstant, quod Auctor in hac questione videatur agnoscere tantum duos modos, unum ex parte objecti, alterum ex parte diligentis; quia, qui est ex parte diligentis comprehendit duos scilicet majorem appretiativè, & majorem intensivè; uterque enim est ex parte diligentis. Unde, quando interdum dicit, illos intensius esse diligendos, qui sunt ex charitate diligendi, sumit intentionem generaliter pro perfectione actus, sive ista perfectio sit secundum appretiationem, sive secundum gradus intensiones.

Dico 1. (Ibid. a. 2. & 3. o.) Deus est ex charitate diligendus super omnia, & pra omnibus objectivè & appretiativè: sicut, simpliciter loquendo, est magis diligendus, quam proximus, & quam nos ipsi. Ratio est; quia debemus velle Deo omne bonum infinitum, ob infinitas & amabiles ejus perfectiones, in iisque complacere. Item debemus ita illum aestimare, ita illi affici, ut mallemus omnia perdere & pati, potiusquam ipsum deserere; atqui hoc est super omnia ipsum diligere objectivè & appretiativè: ergo. Idque exprimitur in pluribus locis Scripturae. Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & in tota anima tua, & in tota mente tua: Hoc est maximum & primum mandatum. Matth. 10. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. Matth. 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Luc. 14. Si quis non odit patrem suum & matrem & uxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest esse meus discipulus.

In hac Conclusionem omnes conveniunt; sed difficultas est de intensione dilectionis, an ex praecipuo charitatis Deus sit intensius diligendus, quam proximus. Suppono, ad rationem charitatis secundum se non requiri intentionem; minima enim charitas justificat, & quilibet actus charitatis etiam remissus meretur vitam aeternam, ut Dissert. 2. probatum est. Suppono 2. Deum esse dignum, qui ame-

tur amore perfectissimo & magis intenso, quam quilibet creatura; non potest enim tam perfecte ab ulla creatura diligi, quin perfectiori dilectione sit dignus; & ideo inordinatum foret eligere creaturam amore intensius quam Deum; hoc enim esset judicare, eam esse dignam intensiori amore, consequenter esse majus bonum & magis appretiativè amandum; quod totum est falsum & inordinatum: debet ergo homo eligere amare Deum summo amore, & intensius quam creaturam. At utrum, si in actu dilectionis non reperitur ista major intensio ex conditione naturae, ut mox explicabimus, sit inordinatio & peccatum? Affirmant quidam Lovanienses cum Petro Soto: non sunt tamen inter se concordēs; quidam enim dicunt hoc peccatum esse mortale, alii veniale tantum. Communior sententia negat, cum qua

Dico 2. Non peccat contra praecipuum charitatis, qui intensiori amore sive naturali, sive supernaturali, diligit proximum, quam Deum. Prob. 1. eodem argumento, quo in Tract. de Penitentia probavimus, dolorem de peccatis non debere necessariò esse maximum intensivè. Intensio actus voluntatis provenit ex vehementia objecti momenti illam; inde enim fit, quod majori conatu & fervore feratur in ipsum; atqui objectum sensibile, ut est proximus, vehementius movet voluntatem, quam spirituale, ut est Deus: ergo. Prob. Min. Quod objectum est propinquius voluntati, eo vehementius illam movet; atqui objectum sensibile pro hoc statu est propinquius voluntati, quam spirituale: ergo. Prob. Min. Sensibilia sunt proxima & immediata sensibus; voluntas autem pro hoc statu operatur conformiter ad illos, & ab illis dependet, quatenus sequitur cognitionem intellectus, qui pro hoc statu desumit cognitionem a sensibus: ergo. Conf. Voluntas intensius fertur in minus bonum praesens, quam in majus absens; id experientia notum est: nec alia ratione contingit, quam quia objectum praesens propinquius est voluntati & magis ipsam movet; quamvis tamen in appretiatione mallet perdere minus bonum praesens, quam majus absens, & pati minus malum praesens, quam majus absens. Unde Auctor suppl. q. 3. a. 1. ad 4. dicit: Homo etiam bene dispositus, quandoque magis percipit in se horrorem praecedentis peccati (cujus aliquis effectus remanet) quam praecedentis culpa; quamvis esset magis paratus pati eandem poenam, quam committere eandem culpam.

Prob. 2. Omnes conveniunt, ut supposuimus, nos non teneri per se loquendo ad maximam intensiorem charitatis. Suppono itaque, quod nunc eliciam acrum dilectionis Dei ad quatuor, iste actus est bonus & meritorius; postea elicio actum honestum amoris sive naturalis, sive supernaturalis, proximi ad quinque, iste secundus actus non potest efficere, quod primus, qui fuit bonus, fuit malus; transit enim bonus, nec est amplius mutationi obnoxius: ergo.

Si dicas, questionem esse de duobus actibus eodem tempore elicitis, comparando inter Deum & hominem 1. N. Suppositum; duo enim actus realiter distincti non eliciuntur eodem tempore, sed sibi succedunt, & adveniente secundo primus transit. Insuper, si questio sit tantum de duobus actibus eodem tempore elicitis, comparando inter se Deum & hominem, vix est quod moveretur questio, quandonam enim sic contingit? Imò totaliter evanes-